



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio III. Vtra productio sit naturâ prior?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

§. Thom. 9.
3. 2. 3.

effectus vt quod non aliter attingitur, quam attingentia rationis formalis vt quo. Quam autem fit absurdum corpus & animam Christi produci à Virgine, cæci viderint.

§. 25. Secundò argumentor: Corpus & anima rationalis creantur, vno generatur: sed nõ potest eadem actio esse creatio partium, & generatio vnionis: ergo. De Maiori nescio quis dubitet: corpus enim & anima fiunt ex nihilo, id est, nullo concurrente subiecto; vno autem fit ex aliquo, id est, ex subiecto concurrente, quæ sunt definitiones creationis, & generationis. Minor probatur, quia generatio vnionis pendet à materia & forma vt à subiectis: materia autem & forma nullo modo à priori dependent ab vnione: ergo non potest esse eadem omnium productio. Antecedens est certum: quia materia ab vnione nec pendet vt à subiecto, nec vt efficiente, nec à priori: quod patet in animo rationali separato absque vnione. item vno est modus: omnes autem præter creationem pendunt à subiecto: quod patet ex eius corruptione. nec hac de re cogitavit vllus dubitare. Consequentiam autem probò: quia vno supponit partes vt existentes, & priores natura. Vnde productio vnionis eas etiã supponit existentes, atque productas: corpus autem prius etiam est tempore vnione; & in resurrectione tam corpus, quam animus tempore præeunt. de qua prioritate agendũ à §. 44.

§. 26. Confirmatur. Productione vnionis corrupta manet productio animi rationalis: ergo distinguuntur realiter. Antecedens est certum: quia anima conseruatur separata; nec opus est noua actione. Censet Cabrera ab hac opinione statutos necessariò Thomistas: qui tamen frequenter creationem non distinguunt à voluntate Dei; distinguunt autem generationem.

§. 27. Hæc, quæ dixi de productione vnionis reciproca, habent vim eandem de productione subsistentiæ, quæ est forma imperfecta, quam frequenter auctores appellant modum: qui à re sua pendet vt à subiecto. & quamuis modus non sit, est tamen forma imperfecta, non conseruabilis separata à forma: quæ formaliter non producit creatione: quia hæc non attingit terminum dependentem à subiecto.

§. 28. Et quamuis de subsistentia animo connaturali esset aliqua quaestio, non potest ea esse de vnione humanitatis ad subsistentiam Verbi: quæ vno est modus pendens ab humanitate, vt à subiecto: circa quam versatur tota mutatio reperta in mysterio Incarnationis: quia circa Verbum vt subiectum versari non potest.

§. 29. Ratio autem à priori huius sententiæ est distinctio terminorum, qui in se tam in eandem, quam in modo existendi sunt valde diuersi: materia enim prima est diuisibilis, animus rationalis indiuisibilis: vtraque pars est independens à subiecto: vno autem, & subsistentia naturalis, & vno ad subsistentiam Verbi, sunt aut modus, aut ens pendens ex natura sua à subiecto. Quid igitur habent commune, vt vna producantur actione?

SECTIO III.

Vtra productio sui natura prior?

§. 30. **P**robata distinctio reali inter productionem humanitatis, & assumptionem;

restat examinare vtrum productio humanitatis sit natura prior assumptione? an è contrà assumptio sit prior creatione? Potest esse comparatio inter tres productiones: Prima, est creatio animi: Secunda, communicatio existentia: Tertia, communicatio subsistentia. quia aliqui auctores eas tres actiones admittunt; alij verò solas duas: quia productio animi, & communicatio existentia sunt idem: solumque comparant communicationem existentia cum communicatione subsistentia.

SYBSECTIO I.

Productio animi, & communicatio existentia minimè distinguuntur.

§. 31. **N**on desunt aliqui Thomistæ, qui conseruant tres actiones, & in anima existente duas actualitates; alteram essentia: ad quam terminatur animæ creatio, & per quam constituitur in actualitate opposita enti in potentia: ad quam actualitatem terminatur animi creatio. Secunda actualitas est existentia, per quam res accipit esse, & est existens. Qui auctores ea potissimum ratione mouentur: quod apertè à nobis est demonstratum, omne ens creatum, vt terminat productionem sui, esse extra causas per suam essentiam productam. vnde intulimus, ad hunc effectum satis esse actionem productiuam, & essentiam vt terminat actionem. Aliunde verò ipsi educati in distinctione reali essentia: ab existentia, commentii sunt aliam existentiam, quam nunquam explicant, nec possunt. inter hos est Didacus Aluarez disp. 14. num. 29. & alibi; nec Cabrera multum dissentit in q. 2. art. 11. disp. 2. num. 22. & 23. clarè verò in q. 17. a. 2. disp. 1. n. 88. & seqq.

§. 32. Quos euidenter impugno: quia creatio animi, vt ad ipsum terminatur, & non ad aliquid ab ipso distinctum, facit animum, & eius essentiam traducit de quauis potentia in actum: ergo vt ad illam terminatur, illi dat actualitatem. Antecedens est certo certius: quia creatio est factio, seu productio entis ex nihilo, & est id quo Deus facit ex nihilo; est quæ faciens vt quod: quod si Deus facit animum, animum fit: vnde animus secundum essentiam est factus de nihilo per eam actionem. Consequentia probatur: quia animus sic factus opponitur sibi ipsi vt erat in potentia: prius enim erat in logica potentia, item & in potentia actiua Dei: erat enim non repugnans produci, & poterat à Deo produci; tamen non repugnantia non erat reducta ad actum, nec omnipotentia erat in actu secundo extrinseco creandi: at iam productus non solum est non repugnans produci; sed est productus: vnde expellit illam carentiam producti. item est re ipsa creatus; & non solum creabilis. Quæ oppositio cum potentia est per actualitatem: potentia enim existenti in sola ratione potentia, siue potentia considerata vt est in potentia, opponitur actus. Quæ sunt per se nota, & à me probata S. Thomæ verbis disp. 8. Metaphys. §. 34.

§. 33. Ergo illa essentia vt sic producta, & considerata in actu opposito potentialitati est in illo conceptu existens. Probo consequentiam: quia omne quod est in actu opposito logicae potentialitati, & potentia actiua & passiva, est per existentiam in tali actu: ergo. Probo antecedens: quia potentia-

tentialitati logicæ opponitur existentia, quæ est actus logicus; & potentia actiua in potentia existentis opponitur existentia effectus producti. Denique existentia est ratio essendi actiua: tunc res est in actu: quia simpliciter est extra causas, & ens: ergo est existens. de quo argumento recognosce in vol. 1. disp. 2. Physic. à §. 54. & disp. 8. Metaphyl. §. 34.

§. 34. Dicunt Primùm, essentiam quidem esse tunc in actu inchoato tantùm, & non completo: quia essentia tunc dicit proximum ordinem ad existentiam. Contra: Tota quæstio de distinctione essentia & existentia voluitur in illo actu per te incompleto: quia argumenta omnia Thomistica in illo aut infringuntur, aut nos frangunt. quin opus sit recursu ad aliam existentiam. Quod enim aiunt essentias esse æternas; existentias verò temporarias; essentias esse quidditatiuos conceptus competentes rebus in omni statu actuali possibili & imaginabili; existentias verò solum congruere statui actuali: essentias esse inuariabiles; existentias autem obnoxias mutationi: essentiam separabilem esse ab existentia; quia hac intereunte, illa perseuerat: ex duobus entibus in actu nõ fieri vnum per se.

§. 35. Hæc omnia habent vim eandem in illo actu incompleto: quia essentia est æterna; ille autem actus temporarius: animus enim non creatur ab æterno, sed in tempore; essentia est quidditatiua; secus actus ille, qui non comperit animo in omni statu, sed tantùm in actuali productionis; nec est inuariabilis, sed obnoxius mutationi; & ab essentia secundum se tam separabilis, quàm quælibet alia res: interit enim essentia non intereunte. omnia igitur argumenta probant eadem ratione illum distinguui ab essentia. Et certè Thomistæ admittentes eum indistinctum ab essentia, & confugientes ad aliam existentiam, consentiunt nobiscum in rebus, retentis nominibus autis, quæ applicant alijs rebus quas non nouerunt patres eorum.

§. 36. Noua autem alia existentia, cui rei inferuit: non vt res producat, sitque terminus productionis: productio enim vt productio terminatur ad existentiam, & productio animi secundum essentiam terminatur ad illum actum per te incompletum; quem ego existentiam appello: non verò ad aliam actualitatem effectam. nec illa actualis, quæ à te dicitur existentia, facit rem simpliciter esse: quia per actionem transfertur de non esse ad esse, per quem conceptum completè est extra causas; omnino enim est extra illas: incompleta autem est non in ratione essendi extra causas; sed in ratione perfectionum aliarum subsistentia, potentiarum & vnionis. Non video cur sint hæc existentiam commenti, nisi vt alicui rei imponant nomen *existentia*; quam possint distinguere ab essentia, ne cum Scoticis pacem videantur inire. Mihi satis est, admitti creationem terminari ad illam actualitatem per ipsos incompletam: illam ego existentiam appello cum August. Thoma, Ioanne Theologo, & omnibus antiquis philosophis ac Theologis bonæ notæ, quos adduxi disp. 2. Physic. à §. 54. & disp. 8. Metaphyl. à §. 38. maxime 44. & 45.

§. 37. Dicunt Secundò, hoc argumento probari, non distinguui essentiam ab existentia: quia illa actualitas est idem cum essentia. Non est hoc magnum absurdum: sed ipsissima veritas à me demonstrata disp. 8. Metaphyl. à §. 38. nec auctores oppositos calluisse terminos, nec eandem in men-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

tem incidisse S. Thomæ. Quod inde patet, quòd ij *S. Thom. q. 3. a. 3.* auctores conuicti demonstratione nouam effinxerunt existentiam contra usurpationem Augustinianam atque Thomisticam.

§. 38. Esto tamen distinctæ; adhuc eadem actione producentur: essentia vt *quod*; existentia verò vt *quo*: quia essentia traducitur de non esse ad esse; existentia autem est ratio essendi opposita non esse. in quo sensu locuti sunt verulsi eius sententia patroni, & Medina in q. 17. art. 2.

§. 39. Aduerte, in mea sententia existentiam substantia esse substantiam: quia substantia vt ens simpliciter, & in actu est ens per se, & non per accidens: ratio autem entis simpliciter & in actu est existentia: ergo existentia substantia pertinet ad ens per se, & non per accidens: sed nullum accidens pertinet formaliter ad ens per se, sed per accidens: ergo. Quæ probauit disp. 8. Metaphyl. §. 82.

§. 40. At in sententia hac, quam impugno, existentia est accidens physicum: quia est extra conceptum substantialem entis per se: est enim tam extrinseca animo, quàm intellectio, quod planè docent Thomistæ nonnulli, quod obserua in §. 56.

§. 41. Dicunt Tertio, essentiam animi terminare creationem, non vt est in actu, sed vt est in potentia tantum: non enim est in actu, nisi vt est existens: at non est existens pro illo primo signo rationis, itaque creatio non constituit rem creatam extra causas; sed est radix, ex qua sequatur existentia: interim tamen essentia intelligitur & creata, & in potentia logica; non verò in actu. Quam doctrinam vix crederem in hominem venisse, nisi eam legissem apud nonneminem.

§. 42. Quam impugno: quia essentia dum est in potentia, nullum prædicatum physicum actuale conuenit intrinsecè actu; quia non entis nullæ sunt proprietates. item quia productio est rei effectio: nihil autem efficitur dum est in potentia tantum; quia effectio est traductio rei de potentia ad actum. Tertio, quia productio:eductio v.g. est modus pendens à termino: ergo termino non existente non potest esse modus illius. Omnis ergo productio terminatur ad communicandam existentiam termino, estque via ad illam: nec potest concipi res produci, nisi vt accipit existentiam ab alio: eadem ergo actione essentia producitur, & communicatur existentia.

§. 43. Obijciunt, creationem esse rerum subsistentium. Respondeo subsistentium, vt significant independentium à subiecto: quod formaliter terminant per creationem, vt eductio est rerum dependentium à subiecto, quod habent per illam. item subsistentium per suppositum in signo alio posteriori, in illo autem priori non ita subsistent formaliter, sed radicaliter.

SVBSECTIO II.

Communicatio existentia est natura prior communicatione subsistentia.

§. 44. **M**iri sunt hac in parte Thomistæ oppositi Durando. Hic vnionem ad communem existentiam, constituit priorem vnione ad hypostasim: Capreolus autem censet vnionem ad hypostasim esse natura priorem: cui consensere

Y 2

Caie

S. Thom.
q. 3. art. 3.

Caietan. & alij Thomista. Durandus non censuit humanitatem assumptam ad existendum, sed ad subsistendum: quia existentia communis ab eo censetur & subsistentia: ille enim non distinguit essentiam ab existentia in rebus creatis; in diuinis autem essentiam, existentiam & subsistentiam non distinguit nec ratione. ob quod vnionem constituit immediatè ad naturam, deinde aliam posteriorem ad relationem. Capreol. è contrà distinguitur videtur naturam diuinam ab existentia, & vnionem priorem admittit ad relationem; aliam verò posteriorem ad existentiam in 3. d. 1. q. vnica art. 3. longè ante finem. Capreolum secuti Caietanus, & alij Thomista, Cabrer. q. 2. a. 11. disp. 2. n. 40. & 120. & Alvarez disp. 14. n. 14. & 30.

§. 45. In sententia Aluarezana disp. 14. nu. 29. potest minus malè hæc opinio defendi: quia substantiæ & essentiæ humanitatis tribuit actualitatem substantialem; qua humanitas est formaliter ens simpliciter de prædicamento substantiæ; existentia autem est alia actualitas rei productæ, & actualis extra causas. Omnia argumenta, quæ faciam contra Cabreram, soluntur facile in hæc sententia: cum enim existentia sit efficta ad effugiendam vim argumentorum, probantium non distingui essentiam ab existentia; fingitur hæc existentia pro libito; quam dixi esse accidentalem. cum ergo detur mihi humanitas secundum suam essentiam, actualitatem esse, & extra causas; ego dabo suppositum illi prius aduenire, quam omnem aliam actualitatem etiam potentialium (si ab illa distinguerentur) nec propterea erit ex me prior subsistentia, quam existentia: quia illa actualitas essentialis humanitati est existentia, & illa est prior supposito: ergo existentia est prior.

§. 46. Hæc autem difficultas est in sententia non admittente illas duas actualitates; sed vnã, per quam existit humanitas, est in actu, & extra causas: quam docet Cabrera in qu. 2. art. 11. disp. 2. n. 23. & alibi. video ab eodem qu. 17. art. 2. disp. 1. à num. 88. oppositum dici: ipse se conciliabit: mea non interest: cuius hæc sunt argumenta pro prioritate subsistentiæ.

SVBSECTIO III.

Argumenta sententiæ.

§. 47. **P**rimum argumentum Cabrerae nu. 120. Existentia est terminus extrinsecus omni creaturæ; suppositum autem est intrinsecus: sed prior est terminus intrinsecus extrinsecò: ergo prior est subsistentia quam existentia: ergo productio subsistentiæ, seu communicatio, prior est communicatione existentia. Hoc argumentum est eneruc. explicandæ sunt voces *intrinsecum* & *extrinsecum*. Si accipiantur pro quidditatiuo, siue de conceptu essentiali aut substantiali humanitatis; in ea sententia vtraque actualitas est æquè extrinsecæ: conueniunt enim in negatione identitatis cum essentia, & in distinctione reali. Vnde nec suppositum est intrinsecum, nec existentia, id est, non sunt de conceptu quidditatiuo humanitatis. Si verò *extrinsecum* accipiat pro denominatione extrinsecæ, quæ non habet vnionem absolutè cum humanitate; vtraque est æquè intrinsecæ: quia existentia est tam vnita cum essentia, quam suppositum:

quia essentia cum existentia constituit vnum ens actuale, & extra causas. imò existentia est magis intrinsecæ: quia magis intrinsecum est esse simpliciter & produci, quam completi; quia complementum simpliciter est entis simpliciter: cum ergo existentia sit in potentia ad esse; actus illi magis intrinsecus est depulsio eius potentialitatis; existens autem iam res accipit complementum. Si verò *intrinsecum* & *extrinsecum* accipiantur pro *substantiali* & *accidentali*, vt verè accipit in qu. 4. art. 2. disp. 3. n. 51. existentia in hac opinione non potest esse accidens: vt ostendi §. 39. vt ergo sit accidens physicum, opus est vt humanitas habeat aliam actualitatem substantialem: Cabrera autem coniungit è duabus sententijs deteriora, quibus suam exornat.

§. 48. Nec bene infert prioritatem subsistentiæ ex conceptu extrinsecò & accidentario: quia creatio magis extrinsecæ est humanitati, & accidentaria, quam supposito: & tamen prior est creatio supposito creato, & vnione ad increatum: ergo existentia licet sit magis extrinsecæ, & accidentaria, poterit esse prior, quam subsistentia. Confirmatur, essentia est ens, verum, bonum, & vnum prius ratione, quam terminetur supposito: & illa sunt magis extrinsecæ: vnitas enim in sententia multorum dicit negationem, quæ magis extrinsecæ est, & accidentaria supposito: veritas & bonitas complentur denominationibus extrinsecis.

§. 49. Ad argumentum ex §. 47. nego Maiorem: deinde eã prætermittã, nego Minorem: quia aliqui termini extrinseci, & accidentarij sunt priores intrinsecis: quales sunt productio & eius terminus formalis, qui est existentia: creatio enim, & terminus sunt simul ratione: cum ergo creatio sit in opinione Cabrerae prior quam subsistentia, etiam existentia erit prior.

§. 50. Secundò arguit: Proprium susceptivum existentia est suppositum iam constitutum per subsistentiam: ergo. Probo antecedens: tum quia omnes denominationes sunt suppositorum, tum quia eius est esse, cuius operari: sed operari est à toto supposito: ergo & esse. Nego antecedens. vt enim creati est ipse natura, quin in illo priori etiam ex aduersarijs concipiatur suppositum; ita & esse: vnaquæque enim res est in illo priori, in quo concipitur produci. Ad primam probationem: denominationes actiue sunt à toto supposito; non verò passiuæ: imò & emanatio suppositi est à natura. Ad secundam probationem: illius est esse completè, cuius est operari aliquid non pertinens ad substantiale complementum: ar esse incompletè in eo priori non pertinet ad suppositum, nisi ratione ipsius essentia: vt enim homo ratione anima est discursiuus, ita & est: sed discursiuus & esse prius ratione est in anima quam in toto.

§. 51. Tertiò arguit num. 121. ex S. Thoma q. 17. art. 2. vbi ait esse pertinere ad hypostasim; & ex Aristot. in prædicamento substantiæ asserente primam substantiam esse maximè substantiam, quia est fundamentum cæterorum: prima autem substantia & est suppositum, & per subsistentiam est fundamentum omnium aliarum rerum, quæ in illa sunt. Iniquè fero tales opiniones adscribi talibus Doctotibus. S. Thomas agit de esse subsistentiæ, vt patet oculis, & probabo disp. 73. §. 3. Aristotel. vbi meminit suppositi distincti à natura? primam sub-

stantiam dixit singulare, siue indiuiduum: nec agnouit distinctionem inter hominem, & humanitatem: est autem indiuiduum cum supposito: prima substantia completa, quæ ratione naturæ est principium, & fundamentum cæterorum: item & ratione existentie reperitæ in natura, quid igitur afferunt?

§. 52. Quartò, arguit num. 122. Existentia est vltima actualitas, & vltimum omnium complementum, & vltimus terminus: ergo supponit essentialiter naturam iam completam per subsistentiam. Nego antecedens: existentia enim est prima actualitas cuiusvis rei etiã diuinæ: quia est terminus productionis creaturæ; productio autem est ante omnia complementa: existentia autem est terminus formalis productionis: etenim illa est prima actualitas, per quam vnumquodque est ens simpliciter oppositum enti in potentia: prius enim terminus opponitur enti in potentia, quàm habeat alia complementa: sed enti in potentia opponitur per existentiam: ergo hæc est ante omnes actualitates, quæ latè monstraui disp. 8. Metaphys. à §. 16. item à §. 19. Vnde huc trajectio hæc verba S. Thomæ ex 1. p. q. 5. a. 1. ad 1. *Secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod primò discernitur ab eo quod est in potentia tantum.* quin ipse Cabrera in quæst. 18. disp. 1. num. 110. ex S. Thoma probat existentiam esse primam actualitatem omnium actualitatum.

§. 53. Quintò, arguit eodem num. 122. Quod fit in factione substantiali est suppositum, vel factum simpliciter, vel in tali natura substantiali: sed factio substantialis est transitus de non esse ad esse substantiale: ergo esse existentie recipitur in supposito iam constituto: & ex consequenti subsistentia est prior, quàm existentia. Mitum argumentum, concludens in consequentia, quæ non fuere audita in præmissis. Distinguo Maiorem: quod fit completè est suppositum, concedo: fit enim Petrus, aut hic angelus: quod fit incompletè, nego: quia ante factioem suppositi intelligitur creatio naturæ, vt ipsi etiam admittunt. Concedo Minorem, & nego consequentiam; quæ nec est in forma, nec in figura: vt ergo partes sunt priores composito, ita existentie partiales.

§. 54. Sextò, arguit nu. 123. Subsistentia est subiectum existentie: ergo est illa prior. Probat antecedens: Primùm ex Caiet. Secundò, quia subsistentia includit aliquid potentialitatis ad existentiam. Tertiò, quia subsistentia actuatur per existentiam: quia subsistentia existit, sicut alie res. Nego antecedens: vt enim subsistentia non est subiectum essentie; ita nec existentie: quia idem est esse causam existentie & essentie, quod patet ex diuinis: vbi natura magis concipitur more subiecti subsistentiarum, quàm subsistentie more subiectorum naturæ. & in creatis omnes ferè dicunt subsistentiam esse modum receptum in natura: alioquin Verbum esset subiectum & humanitatis assumptæ, & existentie communis. Ad primam probationem respondeo, Caietanum à me sæpè impugnari, & ab alijs, nec esse tantæ auctoritatis, vt allegari possit pro ratione: nec egit de subsistentia: sed essentiam omnem & quidditatem dixit habere rationem potentie ad existentiam. Vnde & ipse conceptus quidditarius subsistentie habet rationem potentie ad existentiam propriam, non verò ad existentiam naturæ. Vnde patet ad secundam & tertiam probationem. Video censeri à Cabrera in q. 4. a. 2.

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

disp. 3. n. 53. esse in philosophia intolerabilem errorem tot admittere existentias, quot entia: at aperte ego ostendi disp. 2. Physic. & 8. Metaphys. id esse certissimum.

§. 55. Septimò, arguit num. 124. Natura non est capax existentie, nisi terminata per subsistentiam: ita quòd subsistentia mediet inter naturam & existentiam tamquam terminus, & conditio requisita vt natura sit subiectum existentie: ergo dependet à subsistentia tamquam ab eo quod constituit proprium susceptiuum existentie. Cabrera in præfati indicat existentie subiectum esse essentiam; subsistentiam verò conditionem: at §. 128. asserit existentiam non recipi immediatè in essentiam; sed in suppositum. Nego antecedens: vt enim prius ratione quàm terminetur, est capax creationis: ita existentie termini creationis: nec subsistentia est conditio à priori existentie, sed à posteriori, vt est conditio ad creationem. En argumenta: quæ non produxi, quia difficilia; sed quia indicant imbecillitatem sententie.

SVBSECTIO IV.

Conclusio.

§. 56. **D**ico igitur, existentiam creatam humanitatis esse priorem natura quàm subsistentiam propriam & naturalem: in Christo verò prius natura extitisse humanitatem, quàm assumpta fuerit ad hypostasim Verbi. Hæc fuit sententia Durandi: est item omnium negantium distinctionem realem inter essentiam & existentiam creatas: item Scoticorum negantium vnionem humanitatis Christianæ ad existentiam communem. Est hæc inter nostros vt primum principium. imò inter Thomistas existimo hac in parte esse dissidium vocum: ipsi enim frequenter admittunt tres actualitates: Primam substantialem in substantijs; per quam terminatur productio substantialis, & constituitur substantia in esse extra causas: Secundam accidentalem, quam vocant existentiam: Tertiam substantialem, quam vocant subsistentiam. In hac opinione prima actualitas est prior natura, quàm alie duæ: secunda est posterior natura, quàm tertia. à quo ego non dissentirem, si secundam admitterem, eamque dicerem accidens, vt insinuaui §. 40. quia in hac opinione existentia non constituit formaliter ens in actu. conueniunt ergo ij Thomistæ in prioritate nature vt actualis ad subsistentiam: quam ego voco prioritatem naturæ vt existentis.

§. 57. Probo igitur conclusionem Primò: Creatio animi rationalis, &eductio formæ materialis sunt priores natura quàm suppositum: ergo earum existentia est natura prior supposito. Antecedens admittitur ab aduersarijs, & extorquetur: quia primus omnium conceptus conueniens rei vt extrahitur à potentialitate ad actum, est fieri, & extrahi. nihil enim ei conuenit repugnans potentialitati prius quàm produci, & fieri: sed potius hoc est primum omnium prædicatum status actualis: quia est via ad actualitatem; nec compleri potest in actu, nec perfici, nisi prius concipiatur fieri.

§. 58. Consequentiam probo: quia in eodem priori signo, quo concipimus creationem aut eductionem, concipimus existentiam: ergo existentia est in primo signo rationis, Probo antecedens: quia

Y 3 creatio

§. Thom.
q. 3. art. 3.

creatio intelligitur simul cum suo termino in eodem statu in quo ipsa: sed creatio in statu extra causas intelligitur in primo omnium signo: ergo & eius terminus, qui est existentia. Maior probatur: tum quia creatio &eductio sunt modi pendentes essentialiter à termino, ita ut nec ratione possint à termino separari: quia nullus modus potest existere, nec concipi, quin concipiatur ut affixus rei cuius est modus: tum etiam, quia creatio in primo signo concipitur ut denominans Deum creatorem, & terminum creatum: ergo in illo primo signo concipitur Deus dans existentiam termino, & terminus illam accipiens. Antecedens negari non potest: quia forma non potest concipi cum principis aptis ad denominationem, quin illa denominet, si habeat omnia necessaria. Consequentia probatur: quia creare est facere ex nihilo: sed facere est dare existentiam: ergo pro illo priori intelligitur Deus dans existentiam. item creati est fieri: hoc autem est accipere existentiam: ergo.

§. 59. Huic tam apertæ rationi videamus quid respondeatur? Alvarez disp. 14. & 30. respondet creationem in fieri esse priorem assumptione; at in facto esse assumptionem esse priorem: itaque anima fit prius quam uniat, & non est facta nec creata prius, quam assumpta, sed posterius. quod mutuatus est ex Cabrera q. 2. art. 11. disp. 2. §. 40.

§. 60. Hæc responsio potest accipi dupliciter: Primum, pro fieri accipi creationem, & essentialiam animi iam actualem actualitate sibi essentiali, cuius memini §. 45. at pro facto esse accipitur existentia, quæ est ultima actualitas. In quo sensu nunc non disputo: ego enim tantum volo creationem, eiusque terminum simul esse ratione, & priores quam subsistentia: illa autem alia existentia est conficta: quam iam dixi §. 39. & 40. esse accidens posterius supposito in ea sententia.

§. 61. Secundò, potest accipi fieri, & factum esse pro actione ipsa & termino immediato, qui est existentia, reiecta aliâ actualitate essentiali, ut ex Cabrera retuli §. 46. In quo sensu non satis miror responsionem hanc. Quia fieri propriè acceptum est actio, qua res fit: ob quod terminus dicitur calor in fieri, v.g. homo in fieri, id est, dum est primum cum actione: calor autem in facto esse, & homo in facto esse, est ipsemet calor, & homo: qui facti dicuntur.

§. 62. Hinc arguo: Terminus in fieri est formaliter actio terminata ad illum: terminus in facto esse est res ipsa terminans actionem: sed actio & terminus sunt simul ratione, ut ostendi §. 57. & 58. ergo actio & terminus in fieri sunt simul ratione, ac in facto esse.

§. 63. Fortè creationem, & terminum in fieri accipiunt hi auctores pro iisdem omnino rebus in diversis signis aut statibus: quia res facta, & eius factio accipiuntur in fieri prius ratione, quam ipsa in facto esse: ut de motu successivo frequenter dicitur, eum non fieri simul, & factum esse. quod indicare videntur §. 59.

§. 64. Contrà: In actionibus momentaneis non ita distinguuntur fieri, & factum esse; quia subito & momento fiunt, factaque sunt: quia rem fieri, & non esse factam in successivo bene componimus; eum motus nondum sit factus totus: dum enim successivè fit, facta vna parte superest alia facienda: ob quod terminatur instanti extrinseco, quo verè dicitur, *Nunc non est motus, sed immediatè antè fuit:*

est terminus in facto esse: quia totus est factus: at productio subita est tota simul, nec facta vna parte superest alia facienda, sed terminatur intrinseco instanti, quo dicitur verè, *Nunc est creatio, & immediatè antè non fuit:* ergo in creatione animi rationalis simul sunt fieri & factum esse.

§. 65. Dicunt esse aliquam prioritatem rationis inter fieri, & factum esse: quia concipiuntur more successivi motus. Contrà: Includunt modos contradictorios mutatio instantanea & successiva; quo pacto vnam concipimus more alterius: Deinde sit aliqua ista prioritas: at cur inter illos duos conceptus sola ratione distinctos interijcitur alius realiter distinctus: nempe suppositum. Hi auctores solis verbis inexplicabilibus, nullum nucleum habentibus argumenta deludunt, nec possunt explicare quid dicant.

§. 66. Secundum argumentum ad probandum productionem existentiam esse priorem subsistentiam productione, est: quia subsistentia frequenter appellatur modus existentiam: ut inhærentia est modus existentiam rei pendens à subiecto, ita subsistentia est modus rei independentis. item si non sit res ipsa modus, est tamen complementum existentiam.

SECTIO IV.

Vtrum unio sit facta ad existentiam Verbi?

SVBSECTIO I.

Opinionis Thomistica prima pars.

§. 67. **P**rima sententia fert humanitatem Christi uniam immediatè & formaliter existentiam Verbi, ita ut per illam existat: quemadmodum ipsi censent materiam primam existere per existentiam formæ, & non per aliam propriam. Item docent hanc existentiam Verbi esse communem toti Trinitati; ubi non agnoscunt tres existentias relativas, ut fides docet tres subsistentias, aut supposita. Tertio, docent unionem ad existentiam factam esse secundariò; primariò verò ad hypostasim, in quo à Durando discedunt constituente unionem ad naturam Dei priorem, quam ad subsistentiam. Huius sententiam primus auctor videtur esse Capreolus in 3. d. 1. q. unica art. 3. longè antè finem: pro qua solent afferri Caiet. Ferrar. Medin. & Bañes: quos sequuntur recentes Alvarez disp. 14. n. 15. Cabrera in q. 3. art. 2. disp. unica n. 9. & alibi.

§. 68. Prima huius sententiam probatio, & pars est: id non implicat: ergo factum est. Consequentia licet non est formalis, est tamen efficax. Antecedens probatur: existentia non est essentialis humanitati, sed extra illam, ut subsistentia: ergo potest suppleri per existentiam Verbi, sicut subsistentia.

§. 69. Primum, consequentia nec est formalis, nec catholica: admittit enim possibilitate factum esse contra sacras Litteras; si accipiatur de existentia absoluta, probabo à §. 87.

§. 70. Secundò, nego antecedens. Ad probationem, respondeo existentiam esse rationem, sub qua producitur essentia, & est terminus actionis creatæ: